

nas, in reprobos quam bonos, in alienos quam amicos et propinquos indigentes, in saturos quam esurientes, in divites quam pauperes, in canes vel equos quam homines. Democritus cum cerneret quemdam quibuslibet prompte ac inconsiderate largientem: *Male, inquit, sit tibi, qui gratias virgines effecisti meretrices*, (Maxim. serm. VIII.) q. d. nimis communes.

Tertio, cum datur aliquid, quod non debet dari, v. g. noxium quid aut alienum, vel iniquum; tametsi forte promissum est. Recte enim dixit Agesilaus: *Si justum est, quod petis promisi, sin minus, non promisi*.

Quarto, cum non erogantur discrete, v. g. cum simul totum effunditur in aliquem, vel totum in unum, nihil in alios, absque consilio et urgente causa.

Quinto, cum perversa intentione, scilicet humanæ laudis aucupandæ gratia, vel studio æquale vel plus recipiendi, vel libidinandi, vel altiore gradum acquirendi, etc. His enim et similibus modis seminatur in aqua, quidquid spargitur, adeoque dissipatur: *Amen dico tibi recepisti mercedem tuam*.

Sexto, cum nemini communicantur, sive in donum, sive in mutuum, sed reconduntur ad satiandam frustra avaritiam.

Quarto, fruges terræ, quas dissipant. Primo, qui iis immoderate utuntur ad luxum et intemperantiam. Hi sunt instar anatum, qui proposito aquæ vasculo, non sunt contenti inde bibere; sed insuper in id insiliunt, insidentque, totumque eluendo vacuant.

Secundo, quia eas abscondunt pauperibus cum elargiendi est necessitas: ob quam causam sæpe puniuntur, et fruges ipsæ pessumdantur sive a vermibus, sive incendio, sive divina punitione. Cum Lambertus Strarensis, frater Bertolii præpositi S. Donatiani decimas in multos annos redemisset, plenaque horrea haberet, atque ingruente annonæ caritate, ea egenis communicare nollet, jussit B. Carolus ejus horrea efringi, triticique vim ingentem egentibus gratis admetiri. Qua de causa a monopolis ei in templo oranti sacrilege mors violenta illata est, ipseque justitiæ æque ac annonæ publicæ tutor pro muneris sui fortiter obiti merito martyrii palmam tulit. Ita habet ejus vita nuper a Belgis edita et Æmil. I. V.

His omnibus dicit Deus per Oseam, c. II. *Ego dedi ei frumentum et vineum et oleum, et argentum multiplicavi ei et aurum quæ fecerunt Baal*, id est, obtulerunt et sacrificarunt idolo Baal. Arabicus vertit: *Conflavit ea Baal*. Hoc faciunt, quicumque bona Dei dissipant: offerunt enim, sacrificant et

conflant ea dæmoni, ventri, mammonæ, Veneri, qui proinde omnes citabuntur ad iudicis tribunal, audientque vocem illam: *Redde rationem villicationis tuæ quia non poteris amplius villicare*.

CONCIO IV.

QUA RATIONE OPORTEAT UTI BONIS DEI.

I. Animi bonis: 1. Gratia. 2. Virtutibus. 3. Scientia, ingenio, jurisdictione. — II. Corporis bonis: 1. Forma et pulchritudine. 2. Robore. 3. Sanitate et ætate. 4. Quinque sensibus. — III. Fortunæ bonis: 1. Divitiis. 2. Nobilitate. 3. Dignitate. 4. Honore. 5. Favore principum. — IV. Vitæ necessitatibus: 1. Tempore. 2. Cibo et potu. 3. Societate.

THEMA.

Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Luc. XVI.

Cum tonitru audimus terrificum et inusitatum, cruce nos signamus et Deum imploramus, ut nos a fulmine, quod ejusmodi tonitrua fere sequi solet, dignetur præservare. Audimus in hodierno evangelio horisonum quoddam tonitru: *Redde rationem villicationis tuæ; jam enim non poteris villicare*. Quid enim istud (*redde rationem villicationis tuæ*) sonat aliud nisi veni ad iudicium rigidissimum, exactissimum, gravissimum, ultimum in quo non de stillicidiis, non de opibus sed de summa rerum omnium maximarum, de æternitate seu felicissima seu infelicissima adeoque de fortunis omnibus decerneretur. Quid illud *jam non poteris villicare*, nisi exulabis in perpetuum a bonis quæ possedisti: mundo et huic luci æternum valedices: non sequentur te dignitates, honores, opes, obsequia amicorum: cessabit imperium, administratio, negotiatio tua: nudus hinc abibis ad domum æternitatis: sola opera te sequentur: non erit tibi locus meriti aut satisfactionis, quia neque tempus. Quis hoc audito tonitru, non sibi metuat et prospiciat? Et quis alius prospiciendi modus, nisi ut donis Dei bene et recte utamur? Hoc ergo nunc discamus.

I. Animi bona sunt. Primo, gratia, et hæc utendum est, sicut utimur puteo, qui semper exerceri et hauriri debet alioquin ejus aqua putrescit: ad eundem modum gratia assidue exercenda est. *Nunquam est amor Dei otiosus*, inquit Gregorius, *operatur enim et quidem magna si est, si vero operari renuat, amor non est*. Quid enim amor, nisi unctio Spiritus sancti ad bene et merito operandum? Quis autem nescit reges et

athletas non frustra ungi; sed ut strenue pugnent et vincant? Talis athleta Paulus qui dicebat: *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi*, I. Cor. XV. In vacuum ergo accipiunt gratiam qui ea non utuntur, sicut qui puteum in domo habet, quem non haurit. Qui vero eam exercent bene operando in omni virtutum palestra, singulis actibus gratiam sibi adaugent, sicut aqua putei quo magis hauritur, eo purior et sanior efficitur. Dissipatur vero gratia, cum non exercetur et multo maxime cum per peccatum perditur.

Secundo, virtutes, et his utendum sicut viri nobiles et magnates utuntur palliis, illi enim sæpenumero pallia gerunt de panno vel simili materia non admodum pretiosa, suffulta vero holoserico, ita ut suffultura, quæ non apparet, pretiosior sit panno qui apparet: atque ita vestiuntur quidem illi pretiose pro status sui dignitate, nolunt tamen videri ornati quia non querunt gloriam apud homines rudes et plebeios. Jam præcipit nobis Christus ut exerceamus virtutes in exemplum aliorum: interim vero etiam præcipit easdem occultare, ne per eas vanam queramus laudem: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*; (ecce primum) *et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*, (ecce secundum.) Quid ergo faciendum? Induamus et geramus virtutem sicut pallium nobilium, seu studeamus extra latere, viles haberi ab omnibus et quasi rudi panno vestiti: intus vero per intentionem soli Deo placere cupiamus. Pulchre hoc docuit S. Gregorius, homil. XI. super evang. cum ait: « Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem qua soli Deo placere querimus semper optemus secretum. » Hæc ille.

Dissipant hæc bona (virtutes) qui eas vento vanæ gloriæ exponunt.

Tertio, scientia, ingenio et jurisdictione ac potestate utendum, uti nummis vel talentis acceptis a Domino, quæ ad usuram danda sunt, et cum fenore recipiantur. Non enim hæc dona dat Deus, ut accipiens ea sibi reservet, sed ut aliis communicet. Atque idcirco reprehenditur servus qui unum, quod acceperat talentum, abscondit et sine usura restituit, Matth. XXV. Eo autem talento, ingenium et scientiam intelligi communis est sententia. Novit ergo quispiam alteri bene consulere, etc. ne omittat; quia de hoc ab ipso rationem exiget Deus.

Dissipat ergo hæc bona, qui ea proximo non communicat: cum præcipue data sint ad communicandum.

II. Corporis bona sunt, primo, forma et pulchritudo; et hæc vel propria vel aliena. Aliena non aliter utendum ac perspicillis quæ sunt medium, per quod videtur objectum; Quare cum speciosam aspicias creaturam, non debes ibi sistere, sed per eam velut per perspicilia creatorem contemplari, mirari et laudare. Unde enim corporis forma et decor? Nonne ab anima? Si enim anima destituatur, deforme cadaver erit. Ergo si corpus amas, quia pulchrum, multo magis amare debes animam, a qua sortitur corpus eam pulchritudinem. Sed nec hic sistendum; ulterius ascende, et dic: Quanto pulchrior ergo Deus, qui et animæ et corpori tantam dedit pulchritudinem. Pueri contemplando pictas litteras, ibi sistunt; nec ulterius procedunt ad intelligentiam earum. Hujusmodi pueri sunt, qui creaturas secundum se aspiciunt.

Propria vero pulchritudine utendum, uti tabula marmorea aptissimis lineamentis ab ipsa natura condecorata; quam qui nactus est pictor, perpolit, addendo naturæ artem, et, quæ desunt, lineamenta, ut sic representet pulcherrimam imaginem maximo pretio et principe vero dignam. Quod si igitur ejusmodi lineamenta naturalis pulchritudinis in te comperias, age Deo gratias, pro tam bona ad virtutem compositione, et quamprimum adlabora, ut hanc tabulam industria et virtute perficias; siquidem eam ad hunc finem accepisti. Unde Plut. ait: *In speculo te contemplare: et si pulcher appareas, ea fac quæ decent pulchrum: sin deformis, id quod faciei deest, honestate morum supple*, apud Maxim. in serm. de pulchrit. Atque ita gaude potius de virtutis, quam de naturæ pulchritudine, sicuti pictor ille non de naturalibus tabulæ lineamentis, sed de artis suæ complemento gloriam sibi querit.

Dissipat hoc bonum, quia in pulchritudine sola persistit, sibi et hominibus placere gaudet, et insuper sibi et aliis fit laqueus.

Secundo, robur et fortitudo: hac utendum sicut decet uti gladio sacro, quem insignis eques accepit a pontifice, exerendum contra hostes Ecclesiæ. Talis enim gladius non ad ostentationem, sed ad destinatum usum et præclara facinora adhiberi debet, non ad ludum pugilum, nec ad feriendos lapides vel decollandos anseres, multo minus contra Christianos. Ejusmodi vero gladius est robur corporis, ad labores sive corporis sive animi datus.

Dissipat ergo hunc gladium, qui eum vaginæ inclusum gestant, nihilque laboris subeunt: et multo magis qui ad vana, turpia et noxia applicant. Tales sunt de quibus Isa. V. *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam*

erictatem. Tales et pugiles, qui robur suum ad ranam tantum et noxiam ostentationem adhibent.

Tertio, sanitas et ætas: hæc utendum, sicut intimum æstate, dum enim sanus et juvenis es, paranda tibi sunt necessaria, non corpori tantum, sed et multo magis animæ, bona videlicet opera et virtutes, vitia vero necanda. Docet id formica, quæ, ut dicitur Prov. VI. *Parat in æstate cibum, et congregat in messe, quod comedat:* et, c. X. *Qui congregat in messe filius sapiens est: qui autem sterilit æstate filius confusionis.* Unde apologus ille de vicadis, quæ postquam totam æstatem cantillando exegerant, formicis interim laborantibus et congregantibus, venit hiems, illæque famelicæ a formicis comæatum petiere, sed irrisæ et salutare jussæ discesserunt. Cum enim rogatæ, quid æstate fecissent, responderent se nequaquam otiosas fuisse, sed assiduo cantasse, quo laborem viatoribus temperarent; subridentes formicæ, aiunt: Si æstate cecinistis, ut viantes delectaretis, nunc saltate, ne frigore conficiamini. Tale responsum accipiet aliquando, qui nunc sano et vegeto tempore, nihil boni agunt, sed vitam cantando, ludendo, saltando, bibendo transigunt. Veniet aliquando hiems ægritudinis, ubi egebunt, et ad pœnitentiam agendam difficiles ac pene impotentes erunt. Pari ratione ægroti dum adhuc valentes sunt, providere sibi de sacramento pœnitentiæ et salutari viatico debent, et quidem juxta decretum Innocentii a Pio V. pontif. insinuatum ad instantiam S. Ignatii Loiolæ, antequam medicus vocetur ad ægrotum. Quomodo enim in extremis positi sibi recte providebunt, cum jam ratio et sensus deficiunt?

Porro ætas dispensanda, ad normam quatuor temporum, adolescentia instar veris est, in quo putantur arbores et vites, sepiunturque agri: sic adolescentia limitibus disciplinæ circumscribenda, putandaque a vitiorum surculis paulatim succrescentibus, adeoque flectenda ætas, dum adhuc est tenera. Juventus instar æstatis, ad vitia pronissima et vitiorum æstu calens, laboribus atterenda, ad messem ableganda, et ab otio procul removenda, quod fomes est vitiorum. Virilis ætas instar autumnii fructus afferat bonorum operum, reip. inserviat, alios doceat, gubernet, et bono exemplo omnibus præluceat, velut optimo frugum odore, quo et autumnus redolet. Hiems senectutis ad quietem conscientie se componat, ad focum devotionis et orationis assiduo sedeat, comedatque fructus laborum præteritorum: ante omnia se ad mortem parat, maxime cum advertit nivem adhærere crinibus suis.

Quarto, corporis quinque sensus, quibus velut

equis curru junctis utendum. Ut enim equi nisi plurimis loris et vinculis alligentur et circumligentur, frænis compescantur, et moderato pabule alantur, insuper etiam flagellis coerceantur et calcaribus instigentur, nulla ratione currum apte trahent, sed potius sibi mutuo et aurigæ, iisque qui in curru sedent, perniciem afferent. Corpus nostrum fallax equus ad salutem est. Quinque sensus, quasi quinque equi, qui plurimis alligari vinculis debent, mediocri tantum pabulo recreari, sæpe etiam inedia et verberibus affligi, ad hoc ut inserviant curru virtutis promovendo. Et sic demum placebit anima sponso suo Christo, qui propterea laudare ejusmodi animam, Cant. I. dicens: *Equitavi meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Quam ob causam natura multis vallis, mœniis ac portis quodammodo munit quinque sensus, maxime visum, gustum, auditum: ut tu poneres custodiam ori tuo, et sepires aures tuas spinis et fœdus pangeres cum oculis tuis. Qui hæc non sedulo observat, ab equis suis extrema patietur et ad interitum rapietur.

III. Fortunæ bona sunt, primo, divitiæ, et hæc vel nimis profuse dispensantur, et hoc est prodigalitas; vel nimis parce, et hoc est avaritia. Medium ergo tenendum et disponendæ opes sicut semen jactur in terram nec densius nec rarius, semen enim nimis copiose jactum, multum quidem paleæ affert: parum vero fructus, et seges in terram corruens putrescet. Semen nimis parce jactum, parum afferet paleæ et fructus. Sic prodigalitas conciliat quidem sibi multorum, quibus largiter dat, favorem, sed interim parum colligit fructus, imo multo plus damni: avaritia vero nec possessori prodest nec aliis, vel certe admodum parum. Quare Thomas Morus eleganter canit:

Utere divitiis tamquam moriturus, et idem
Tamquam victurus parcito divitiis.
Parcere divitiis qui tempore novit, et uti,
Ille modum servans inter utrumque sapit.

Semen dissipat tam is, qui in terram sterilem projicit, veluti in viam, saxa aut spinas; quam qui in horreo conclusum egentibus non communicat, sed vermibus devorandum relinquit. Sic dissipator est opum, et is, qui in scurras, histriones, scorta, luxum, etc. eas profundit, et is qui nemini eas communicat. Contra qui ad honestos et laudabiles usus depromit, et maxime qui in fertilissimos pauperum sinus quasi in agellos abscondit et seminat, ille fructum metet centesimum, et omnium optimus dispensator erit. Sanctus Augustinus, tract. XL. in Joa. ait:

Utere nummo, quemadmodum viator stabulo (id est hospitio) utitur, mensa, calice, urceo, dimissurus, non permansurus.

Secundo, nobilitas, hæc si utaris, quo modo crucigerorum ordines utuntur signo crucis in suis palliis, vel sicut religiosi utuntur voto et habitu suo, recte uteris. Crucigeri non ideo crucem ferunt, quod cæteris meliores videantur: quemadmodum nec monachi suum habitum, sed ut hoc signo recordentur obligationis et voti sui, ad majorem consecrandam perfectionem et virtutem exercendam, illi in militia corporali, hi in spirituali. Nihil enim aliud videntur esse nobiles, quam mundi religiosi, qui ex ipso matris utero quasi votum et juramentum præstant ad majora virtutis opera designanda, et plebeios in heroicis actibus superandos, eo ipso quod nobiles nascuntur, siquidem ab ipsa nativitate communiter accipiunt melius temperamentum naturæ, adeoque majorem dispositionem et inclinationem ad virtutem, necnon calcar et incitamentum ab exemplis majorum suorum. Interrogent ergo seipsum cum S. Bernardo, monachum inchoante: *Bernarde, ad quid venisti?* Nobilis, ad quid hoc donum accepisti, a quibus majoribus descendis? *Si filii Abrahamæ estis, opera Abrahamæ facite.*

Dissipant hoc donum, qui nobilitate utuntur ad insolentiam, otium, luxum, etc. qui non curant nobilia facta patrare, sed terunt tempus comendis crinibus, lusu, venatione, potatione. Item qui nobilitate utuntur velut tegumento vitiorum suorum, quemadmodum dicebat Diogenes.

Tertio, dignitas, in qua ita ambulandum atque super alto tramite, in quo qui secure vult versari non debet dimittere oculos ad homines infra stantes et se aspicientes, sed attendere ad gressus suos: quemadmodum et qui rapidum fluvium in altiori et angusto ponte transit, ad vestigia, non ad amnem despicit. Igitur qui in sublimi dignitate est, non demittat oculos ad hominum existimationem, ne in vertiginem superbæ rotatus turpiter cadat. Attendat potius ad vestigia sua, quomodo in tam edito, patulo et periculoso loco gradiatur, ut ne offendant homines et imprimis Deum. Facile fortassis evitabit insidias hominum, sed non ita facile iram Dei sibi imminentem, si ob dignitatem suam insolescat; quod Dionysius Syracusanus rex Damocli assentatori monstravit, cum eum in regali sede ad mensam regiam locavit, interim vero gladium ancipitem tenui filo super caput ejus appendit. Qui igitur ad vestigia sua et gladium Dei attenderit, is nequaquam dissipabit acceptam a Deo dignitatem.

Quarto, honor et laus: quæ si tibi tribuantur, eo modo dispensare debes, quo modo fidelis œconomus redditus domini sui; accipit enim eos a debitoribus ut per manus suas transferat ad manus et ærarium domini sui, nihil prorsus ex illis sibiretinens. Soli Deo debetur honor et gloria, ad Rom. XVI. Unde Dominus: *Gloriam meam alteri non dabo,* Isa. XLII. quia quidquid laude dignum, ab ipso velut mari profluit, ac proinde in ipsum refluere debet. Et sicut Putiphar omnia sua concessit dispositioni Josephi, præterquam uxorem; sic vult Deus sibi servari laudem et gloriam ex præclaris factis nostris resultantem, quia ipse eorum auctor principalis, nos quasi instrumenta sumus. Hoc faciebat Joseph, hoc et servi illi boni, qui quot acceperant talenta, totidem refuderunt domino et nihil sibi retinuerunt: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratum sum.*

Quisquis ergo honorem sibi usurpat, ille dissipat bonum Domini Dei sui, imo rapit et furatur.

Quinto, favor principum et magnatum: quibus utendum dicebat Alexander Magnus tamquam igne, ut neque propius quis accedat, ne comburatur, neque longius abseedat, ne plane frigeat et rigeat. Ratio, quia magnatum favorem respuere vel negligere, est eos sibi infensos reddere, et januam sibi ad gratiam præcludere; vicissim eum nimium consecrari valde periculosum est, nam vel cum bono principe tibi est negotium, et tanta est opus circumspectione ad conservandam, salva pietate, ejus benevolentiam, ut nihil supra: vel cum malo, et si loqueris ei placentia, incidis in laqueum mortis æternæ; si vero displicentia, laqueum indignationis ejus non effugies. Quare Ecclesiast. cap. IX. de principum familiaritate loquens ait: *In medio laqueorum ingrederis.* Quemadmodum enim periculosum est dæmones evocare, eo quod magno in discrimine versetur, si quid erret evocans. (Unde aiunt, Tullum Hostilium ictum fulmine, quod ex Numæ libris Jovem devocare conatus, quædam parum rite fecerit, Plin. I. II. c. LV.) sic et principum familiaritas difficile acquiritur, periculose conservatur.

IV. Denique, quæ ad vitæ conservationem pertinent, de quibus itidem Deo ratio reddenda sunt, primo, tempus: et hoc dispensandum sicut aurum, siquidem Theophrasto auctore: *Non est sumptus pretiosior tempore;* solum enim hoc recuperari nequit. Quemadmodum igitur diu cogitamus antequam aureorum expensas faciamus, quas tamen recuperare possumus; sic multo rigidius faciendum est cum tempore, quo recto expenso bona nobis æterna comparare possumus.

Secundo, cibus et potus; et hic corpori subministrandus, sicut solet aqua pratis: necessitas videlicet, non superfluitas. Vel secundum Xenophontem, apud Ath. l. XI. c. XXI. quantum pluviae desideramus frugibus nostris, modicum scilicet et quantum ebibere possunt; nam ob nimiam irrigationem prata confrigescunt, et seges in agro deprimitur in terram: ob nimiam vero ariditatem exarescit. S. Augustinus, ep. ad sacr. virg. ait: *Vinum potatum moderate, est medicamentum; plus justo sumptum, venenum esse dignoscitur.* Idem, l. X. confess. c. XXXI. ait: *Hoc me docuisti (Domine) ut quomodo medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Eger utitur medicina, et claudus scipione; sed mallet non uti. Sic utendum cibo. S. Bernardus, in formul. honest. vitae: « Sicut ad crucem, sic accedas ad cibum, id est, nunquam voluptate sed necessitate pascaris, et fames non espor, provocet appetitum. »

Tertio, societas, supremis tantum labris degustanda, ut mel, juxta id Prov. XXV. *Mel invenisti; comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.* Quid autem sit hoc mel, mox indicat: *Subtraha pedem tuum, inquit, de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te.*

Quare, auditores, attendat sibi quisque et despiciat mature, qua ratione utatur rebus domini sui, cui districtam de singulis rationem certo certius redditurus est, ut cum divinum illud tonitru: *Redde rationem villicationis tuæ, insonuerit, dicere possit cum Davide: Paratus sum et non sum turbatus.*

CONCIO V.

FURTUM ET OMNE LUCRUM INIQUUM QUANTO PER AVERSANDUM.

I. Suadet peccati hujus gravitas. — II. Peccati hujus turpitudine. — III. Inquietudo conscientiae. — IV. Difficultas satisfaciendi. — V. Inutilitas talium bonorum. — VI. Multiplex periculum.

THEMA.

Quid hoc audio de te? Luc. XVI.

Videtur hodiernum evangelium favere non nihil furibus, et qui alienas res usurpant. Quis enim neget magnum fuisse furem, villicum iniquitatis, qui dissipavit bona domini sui? Et tamen dicitur dominus laudasse vicissim illum, quod prudenter fecisset. Itane iniquum dispensatorem laudat evangelium? Sed sciendum est primo, contra Erasmum Roterod. non esse Christum, qui laudavit villicum, sed dominum ejus.

Hujus sententiam Christus retulit, non ipse protulit. Deinde, non laudari villicum, quod bene fecisset: (quis autem laudaret furem suum) sed quod astute, et prudenter sibi consulisset. Alio qui jam displicuerit domino furtum ejus, satis ex illa ejus increpatione patet: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ; jam enim non poteris villicare.* Itaque hodiernum evangelium absterret nos potius ab omni injustitia, et minatur iniquis rigorem judicii divini, ac dejectionem de villa ad gehennam. Cæterum plura alia sunt quæ movent, ut ab omni furti specie quam diligentissime caveamus, uti nunc intelligemus.

I. Movet peccati hujus gravitas, quæ patet primo, ex lege naturæ, cui maxime contrarium est furtum, rapina et his similia. Præcipit enim lex naturæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quam sententiam Alexander imperator ethnicus, per præconem, cum aliquem emendaret, pronuntiari jubebat, adeoque diligebat, ut in palatio et publicis operibus perscribi eam juberet, Lamprid. apud Baron. anno Domini 224. Quin et bestiae legem illam agnoscunt. Canum imprimis fides in servandis rebus dominorum suorum, in custodia domus, et quemadmodum fures prodant, eos allatrando, quantoque in eos odio ferantur, id notius est, quam ut probatione indigeat. Canis furem ornamentorum e templo Æsculapii sublato perpetuo insequens latratu prodidit, Ælian. hist. animal. l. VII. c. XIII. alius Eupolidi donatus Ephialtem ejus servum, res domini furantem occidit, id. l. IX. c. XLII. alius adulterum prodidit, fores, quibus ingressus ille erat, semper allatrando, id. l. VII. c. XXI. Visi item elephantes furta detestari. Horum unus in Syria, cum a curatore suo dimidia hordei mensura fraudaretur, quam tamen aliquando præsentate domino totam accipiebat, torve intuitus curatorem velut furem, pabulum sibi oblatum proboscide divisit, et ita quo potuit modo servi injuriam domino suo prodidit, Plut. de industria animalium. Alius cum curator lapides et terram ad explendam mensuram pabulo miscuisset, ipse ex foco correptum cinerem in ollam magistri elixis jam carnibus iniecit, Aristoteles, de hist. animal. l. IX. c. IV. Quin et apes solent fucos, quos vocamus fures, alienorum favorum direptores, primo modice verberare aliisque expellere: iterum vero redeunt aculeis interficere, adeoque extremo plectere supplicio, Ælian. l. I. c. IX. Denique, Ciceronem hac de re loquentem audiamus, l. III. offic. « Detrahare aliquid, inquit, et hominem hominis incommodum suum augere commodum, magis est contra naturam quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam

cætera quæ possunt aut corpori accidere aut rebus externis. Nam principio tollis convictum humanum et societatem; si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliaret aut violet alterum, dirumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam humani generis societatem. Ut si unumquodque membrum sensum hunc haberent, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari totum corpus necesse est. » Sic ille.

Secundo, ex lege veteri, quæ jubet pro uno bove furtim ablato reddi quinque boves: pro una ove quatuor oves. Et si fur non habeat unde restituat, eum venumdari, Exod. XXII. Rationem dat. D. Thom. l. II. quæst. XLIX. art. VI. « Cum aliquis ex sua injusta voluntate sibi attribuit plus quam sibi debetur, justum est, ut diminuat etiam, quantum ad id quod sibi debebatur, sicut cum furatur quis unam ovem reddat quatuor: per hoc enim punitur ejus iniqua voluntas, etc. » Quinetiam pauperum defraudatio homicidio æquiparatur Eccles. XXXIV. *Panis egentium vita pauperum, qui defraudat illum, homo sanguinis est: et mox: Qui effundit sanguinem et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.*

Tertio, ex lege nova et Christianorum, inter quos societatis et charitatis vinculum longe arctius esse debet. Si enim illis præcipitur: *Omni petens te tribue,* (Luc. IX.) quanto magis, ne furentur et rapiant aliena? Et si epulo, quia non largitus est eleemosynam Lazaro egenti, sepultus est in inferno, quorsum sepelientur fures et raptores? Et si impii, qui non paverunt, potarunt, vestierunt, etc. Christum in pauperibus audient: *Discedite a me maledicti in ignem æternum;* quid audient illi, qui Christum membris suis spoliaverunt? Itaque non injuste fit, quod apud Christianos furta acrius plectantur, quam in lege veteri, vel aliis nationibus, morte nimirum et suspensio. Merito Christianis furibus inculcari potest illud: *Quid hoc audio de te?* De te, inquam, villico Dei, posito super ejus bona tanquam servo fidei?

II. Movet peccati hujus turpitudine et infamia: quod et infami supplicio patibuli plectitur, ubi fures in patibulo debent putrescere, et tantisper fetore sui nominis et corporis prætereuntium aures et nares implere. Vulgo sane nihil ita fetet, minusque toleratur, quam vocari aliquem furem, quia hoc peccandi genus uti contemptissimum ita fere vilissimum hominum est. Unde non injuria villicus iniquitatis diffamatus fuisse dicitur, quia vitium scilicet hoc maxime infame est, ut patet præsertim, cum furtum res-

titui debet, teste Cicerone in Verrem, Act. IV. *Nihil est turpius ingenuo, nihil minus libero dignum, quam in conventu maximo cogi a magistratu furtum reddere.* Infamiam et fetorem hujus vitii ostendit aliquando Deus in fasce ciceris a monacho quodam furtim contra regulam asservato, cujus fetorem S. Hilario abbas perceperat et ferre non poterat; qui et in ejus rei confirmationem misit eum ante bestias, quæ et ipsæ horrerunt cicera illa, teste Sancto Hieronymo, in vita S. Hilario-nis. Hinc viri ingenui et justitiæ amantes etiam suspiciones furti horrent, et ne contingere quidem furtum volunt; uti Tobias ille cæcus, qui audiens balatum hædi in domo sua: *Videte, inquit, ne forte furtivus sit, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere,* Tob. II. Ita D. Sanctulus in summa rerum inopia et fame oblatum divinitus panem, timens ne forte alterius esset, opponere mercenariis formidabat, teste S. Gregorio, l. III. dial. c. XXXVII. Quis itaque ferat domi suæ tam infame et fetens malum? Sed illud est dolendum, quod nemo fur appellari, multi tamen esse velint. Certe furtum definitur a theologis, ablatio injusta rei alienæ invito domino. Itaque qui rapit, fur est; qui usuras exigit et accipit, fur est; qui fraudat in contractibus, ulna, modio, pondere, mensura, fur est; qui servis et mercenariis mercedem justam detinet, fur est; qui domino suo per negligentiam suam nocet, fur est; qui cum validus esse, stipem egentibus præripit, fur est; omnia denique lucra iniqua, furta sunt. Item qui furta aliorum retinent, uti et res alienas, etc. fures esse censentur. Pythagoræ monitum symbolicum est: *Sinistra manu cibum ne sumito,* hoc est, ex iniquo lucro ne vivito. Sinistra manu cibum sumere, turpe est inter commensales: at quanto turpius iniquum lucrum?

III. Movet, inquietudo conscientiae, quæ perpetuo murmurat contra bona injuste parta. Ferunt esse avem quamdam paradisi dictam, quæ capta et inclusa, nunquam non gemit, donec dimittatur, Ro. Holcot. in l. Sap. c. CXLIV. Talis est res injuste parta: semper enim conscientiam pungit, et evolare cupit ad dominum suum. Hinc hodiernus dissipator angitur in conscientia, cum ait: *Quid faciam?* Prodigorum quidem pecuniam vulgo dicimus clamare: sed verius ita clamat pecunia furum et raptorum, et quidem meliore jure. Fortunatus præbyte: apud Surium, tom. III. in vita S. Medardi, scribit quemdam furem D. Medardo surripuisse taurum, cujus collo tintinnabulum appensum erat; ubi domi in tuto erat taurus, fur tintinnabulum abdidit, ne illius sonitu proderetur. Sed ecce, in